



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Ludovici IV. Bavari Imp. submissio facta Clementi VI. anno MCCCXLIV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

Datum Treveris die decima septima mensis Septembris anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo.

LUDOVICI IV. BAVARII

*Imperatoris submissio facta Clementi VI.
anno M C C C X L I V. die X VI. mensis Ja-
nuarij per Humbertum Dalphinum Vien-
nensem & alios ejusdem Ludovici Ambas-
satores.*

Ann. 1344.

IN nomine Domini. Amen. Anno à' nativitate ejusdem M C C C X L I I I . Indictione xii. die xvi. mensis Ianuarij, pontificatus sanctissimi Patris & Domini Nostri Domini Clementis divina providente clementia Papæ sexti anno secundo, in Consistorio publico, in quo fuere præsentes Reverendi Patres Domini miseratione divina, Petrus Penestrinus, Bertrandus Ostiensis, Gaucelinus Alabanensis, Iohannes Portuensis, Annibaldus Tusculanus, Petrus Sabinensis Episcopi, Imbertus Tituli Basilicæ xii. Apostolorum, Talayrandus Tituli sancti Petri ad vincula, Petrus Tituli sancti Clementis, Gotius Tituli sanctæ Priscæ, Bertrandus Tituli sancti Marci, Bernardus Tituli sancti Cyriaci in Thermis, Guillelmus sanctorum Quartuor coronatorum, Guillelmus Tituli sancti Stephani in Cœlio monte, Helias Tituli sancti Vitalis, Guido Tituli sanctæ Cæciliæ, Stephanus Tituli sanctorum Iohannis & Pauli, Hugo Tituli sancti Laurentij in Damaso, Ademarus Tituli sanctæ Anastasiæ Presbyteri, ac Raymundus sanctæ Mariæ Novæ, Galhardus sanctæ Luciæ, Iohannes sancti Angeli, Bertrandus sancti Eustachij, & Guillelmus

lelmus sanctæ Mariæ in Cosmedin Diaconi Cardinales, præsentibus etiam venerabilibus Patribus fratre Petro Ierosolymitanensi & fratre Geraldo Antiocheni Patriarchis, ac Dominis Gasberto Narbonensi, Orchelyo Salzeburgensi Archiepiscopis, Iohanne Belvacensi, Petro Claromontensi, Stephano Cassinensi, Guillelmo Forojuiliensi, Raymundo Morinensi, Beltramino Bononiensi, Angelo Grossetano, Bernardo Oscensi, Guidone Tutellensi, fratre Petro Graffensi Episcopis, Gaffredo Lansanensi, Nicolao Lemonicensi, Agapito Lunensi Electis, Bernardo Stephani, Raymundo de Valle, Guidone de Calma, & Francisco de Vrsinis Domini Papæ Notarijs, & discretis viris Dominis Guillelmo de Norvico, Iohanne de Blandiaco, Amanevo de Mota, Bernardo de Novodompo, Petro Alamandi, Bernardo Hugonis de Cardalhaco Auditoribus sacri palatij apostolici, Guillelmo de Posterela, Petro Villaris, fratre Petro Basterij, Hugone de Arpajone, Iacobo de Placentia, Gallardo Nigri Domini Papæ Capellanis, Carlino de Madalbertis de Cremona, Blasio de Senis, Francisco de Lanceo, Henrico de Ast, Francisco de Aquila, Iacobo de Mediolano in Romana Curia Advocatis, ac Guillelmo de Bos, Iohanne de Amelio, Michaële Ricomanni, & Bertrando de Chiannaco Clericis Cameræ dicti Domini nostri Papæ, & Notariis publicis infra scriptis, & alia Prælatorum & personarum ecclesiasticarum & secularium multitudine copiosa, personaliter constituti magnificus & potens vir Dominus Humbertus Dalphinus Viennensis, ac venerabiles viri Domini Marquardus de Randegg Iuris canonici Professor, Electus & Præpositus Bambergensis, Eberhardus de Tuminaroe Præpositus Augustensis Ecclesiarum, & Ulricus de Augusta Protonotarius, Ambassiatores, nuncij, & procu-

S

ratores magnifici viri Domini Ludovvici de Bavaria, qui se Regem Romanum nominat, facta per dictum Dominum Marquardum quadam propositione verbali, in qua multa mala & excessus, crimina & delicta, quæ commiserat idem Ludovvicus contra sanctam Romanam Ecclesiam tempore sanctæ memoriæ Domini Iohannis Papæ XXII. in persona ipsius Domini Iohannis & contra unitatem & libertatem Ecclesiae sacrosanctæ, & quasi omnia contenta in quodam procuratorio, de quo infrà fit mentio, verbo narravit, vice & nomine ipsius Domini Ludovvici de Bavaria exhibuerunt & produxerunt quandam litteram, quam dicebant esse procuratorum dicti Ludovvici, scriptam & signatam, ut prima facie videbatur, manu & signo Ottonis Ameldorf de Vineziman Clerici Bambergensis dioecesis & Romani Hormelin Clerici Constantiensis dioecesis publicorum auctoritate sedis apostolicæ Notariorum, & sigillatam impendenti quodam sigillo rotundo in cera crocea, in quo in medio sculpta erat quædam imago hominis habentis insulam in capite suo, sedentis inter duas aquilas, habentis sub pedibus ejus duos leones, & tenentis in manu dextra quoddam sceptrum & in manu sinistra quoddam pomum rotundum, in cuius circumferentia hæ litteræ legebantur: *Ludovicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator semper augustus.* Et à tergo dicti sigilli erat quædam impressio alterius parvi sigilli, in qua erat sculpta quædam aquila, & in circumferentia ipsius eæ litteræ legebantur: *Iustè judicate filij hominum.* Quæ quidem littera de ipsius Domini nostri Papæ mandato ibidem publicè lecta fuit; ipsaque ex integro lecta, suprannominati Ambassiatores, nuntij, & procuratores, habentes, ut dixerunt, inter cetera à dicto Domino Ludovico de Bavaria plenam & liberam potestatem & speciale manda-

tum, prout ex forma dicti procuratorij, cuius tenor
describetur inferius, constare dixerunt, ponendi &
submittendi dictum Dominum Ludovicum de Ba-
varia, res, statum, velle & nolle, nihil sibi proprij ar-
bitrij retinendo, absolutè & liberaliter in manibus
dicti Domini nostri Papæ, ejusque dispositioni &
ordinationi ipsius Domini Ludovici de Bavaria per-
sonam, res, statum, velle & nolle, nihil sibi pro-
prij arbitrij retinendo, pro malis & excessibus, de-
lictis, & criminibus contra dictum Dominum Io-
hannem, Ecclesiam Romanam & etiam universalem
commissis, & contra unitatem & libertatem ejusdem
Ecclesiæ sacrosanctæ. Et pro emenda & satisfactione
omnium præmissorum facienda eidem Ecclesiæ sa-
crosanctæ, prout habent, ut præfertur, à dicto Do-
mino Ludovico in mandatis, ex deliberato propo-
sito & spontanea voluntate, licet per dictum Domi-
num nostrum Papam, facta priùs aliquali collatione
juxta exigentiam agendorum, semel & pluries dicti
Ambassiatores, nuntij, & procuratores exhortati
fuerint quod in tanto negotio, priusquam face-
rent, viderent & deliberarent quid circa præmissa
essent acturi & quod nollent fictivè aliquid agere &
verbis solùm dicere & non realiter, & facto quæ
dicebant attendere, quia Deus, cuius vices tenet in
terris Ecclesia, irriteri non potest, & quod non
cederent quod ipse indiscretam remissionem face-
ret, licet misericordiam non negaret, plena deli-
beratione iterum habita inter eos absolutè & libera-
liter ipsum Dominum Ludovicum, scilicet perso-
nam, statum, res, & bona ipsius, posuerunt in ma-
nibus præfati Domini nostri Papæ, ipsumque & alia
supradicta & ejus ordinationi & dispositioni pro
omnibus supradictis excessibus & emenda & sati-
factione fiendis pro eis & omnibus in littera procu-
ratoria infra scripta contentis totaliter submiserunt.

S ij

Et ad prædictorum majoris roboris firmitatem suam
pranominati Ambassiatores, nuntij, & procuratores,
& ipsorum quilibet, juraverunt tactis sacro-
sanctis evangeliis in animam ipsius Domini Ludov-
vici prædicta omnia & singula posita, ut præfertur,
& submissa attendere & complere & effectualiter
observare quicquid dictus Dominus Noster super
prædictis duxerit ordinandum, & non contra face-
re vel venire per se vel alium seu alias, directè vel
indirectè, publicè vel occultè, aliqua ratione seu
causa. Et ibidem dictus Dominus noster Papa, audi-
ta dictorum Ambassiatorum, nuntiorum, & pro-
curatorum propositione & submissione, & aliis per
ipsos dictis, factis, & juratis, humilique petitione
& supplicatione ipsorum tam super expressatis su-
perius quam aliis in dicto procuratorio contentis
multarum animarum periculis, quæ propter dictum
Dominum Ludovicum & perpetrata per eum sunt
diversis pœnis & sententiis, involutæ, affectu pa-
terno compatiens, hujusmodi positionem, submissio-
nem personæ ipsius Domini Ludovici de Bavaria,
rerum, status, abdicationem proprij arbitrij ipsius
in se misericorditer & gratosè recipiens, dixit &
protestatus fuit quod licet quantum ad relaxatio-
nem processuum contra ipsum Dominum Ludovicum
factorum, & pœnarum quas propter præmissa
incurrerat, intenderet misericorditer agere cum eo-
dem, quantum sibi cum honore Ecclesiæ videretur,
indiscretam tamen remissionem facere nullatenus
intendebat. De quibus omnibus & singulis dictis
Dominus noster mandavit, & ipsi Ambassiatores,
nuntij, & procuratores requisiverunt, per nos No-
rarios infra scriptos & nostrum quemlibet fieri
unum, duo, & plura publica instrumenta. Actum
&c.